

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio Controversistica qua Realis Ac Substantialis praesentia corporis & sanguinis Domini in Evcharistia

**Baldinger, Bernhart
Stucki, Johann Rudolf
Heidegger, Johann Heinrich**

1669

Disputatio de reali praesentia corporis & sanguinis domini in evcharistia

[urn:nbn:de:bsz:31-162645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162645)

DISPUTATIO

DE REALI PRÆSENTIA
Corporis & Sanguinis Domini
in Eucharistiâ.

Rudolphus Stuckius, Theologia Professor Tigurinus, in libello de Eucharistiâ contra quendam Parochum Pontificium scripto, cui titulus est, *Judicium Orthodoxum, in Judicio de Præfatione, ubi agitur de ponendo præsentis causæ statu, sic loquitur: Ego controversia hunc pono statum: Utrum textus & rationum momenta, quæ Stuckius in The- sibus suis producit, tantam claritatem & energiam habeant, ut labefactato sensu corporali, in tropis à Sacramentorum naturâ alienis fundato, Sacramentalis ille & Spiritualis, cum quo verba tropica seu figurata, in quotidiano & Sacramentali imprimis usu posita optime concordant*

A

cordant

*cordant, stabiliaur? Hoc affirmo, Pavo-
chus negat. Hic ergo Rhodus, hic sal-
tus. Ita Stuckius.*

Verum contra Stuckium est, quod
iste controversiæ status à Stuckio po-
situs, laborat duplici petitione prin-
cipij. Supponitur enim 1. doctrina
Romanæ Ecclesiæ de Evcharistiâ fun-
dari in tropis à Sacramentorum natu-
râ alienis. 2. cum doctrinâ Stuckij op-
timè concordare verba tropica, in
quotidiano, & Sacramentali in primis
usu posita; quod utrumq; negam⁹. Pri-
ma principij petitio fit, cum quæritur,
*An doctrina Romana Ecclesia de Ev-
charistiâ fundata in tropis à Sacramen-
torum naturâ alienis labefactetur? Ubi
duæ propositiones per modum unius
copulantur, quæ in duas resolvi de-
bent, ut veritas hujus & illius seorsim
examinari queat; nempe in has: Do-
ctrina Romana Ecclesia fundatur in tro-
pis à Sacramentorum naturâ alienis: &
Doctrina R. E. labefactatur. Secunda pe-
titio fit, quærendo: An doctrina Stu-
ckij, cum quâ optimè concordant verba
tropica, in quotidiano, & Sacramentali*

²
imprimis usu posita, ³stabiliat. Ubi
rursus duæ propositiones per modum
unius constant, in has resolvendæ:
*Doctrina Stuckij est illa, cum quâ optimè
concordant verba tropica, &c. & Doctri-
na Stuckij stabilitur.*

Verùm videtur illa duarum proposi-
tionū per modum unius copulatio esse
excogitata ad decipiendos rudiores:
ne videlicet prior propositio seorsim
examinetur, sed inadvertenter sup-
ponatur, ac deinde posteriori adun-
cta, quæ ex priori suppositâ clarè se-
quitur, admittatur.

Itaque sunt quæstiones & proposi-
tiones separandæ; ut de singulis se-
orsim examinatis singulæ etiam feran-
tur sententiæ.

Cæterum propositiones ejusmodi
copulatæ, si sine petitione princi-
pij & candidè proferantur, sunt
optimæ & pulcherrimæ, qualis est ista:
*Herodes consumptus à vermibus,
expiravit: Act. 12. 23. & illa: Adri-
anus gladio jugulatus, martyrij coronam
acceperit. Martyrol. 5. Martij.*

Videtur verò Stuckius in suo problema imitari illos Pontifices, Scribas, & Seniores Judæorum, qui, ut à Pilato mortis sententiam contra Jesum extorqueant, statum causæ hactenus constitutione constituunt: *An Iesus malefactor, supplicio crucis sit multandus.* Quod ideo fit, ut id, quod Judæi scienter supponunt, à Pilato quoque inadvertenter supponatur, adeoque ab ipso feratur sententia contra Christum pro placito Judæorum.

Sed fallunt Judæi, nam distinctè & separatim est procedendum. Et 1. quidem quæri debet; *An Iesus sit malefactor.* quæ est quæstio facti. 2. *An Iesus sit supplicio crucis multandus.* Quæ est quæstio juris. Quo observato, clarè jam constat, quid quæratur; & quid ad singulas quæstiones sit respondendum; & quænam propositiones concedi aut negari debeant: patetque, cardinem totius rei in hac unâ verti quæstione facti: *An Iesus sit malefactor.*

Judæi tamen isto non observato, Jesum Pilato sistunt, non examinandum

5
dum de crimine (idem in statu cau-
sa supponi volunt; unde hæc illorum
indignabunda Pilato data fuit respon-
sio: *Si non esset hic malefactor, non ti-
bi tradidissimus eum*) sed crucifigen-
dum; hoc unum intendentes, ut
Præses quæstionem facti præteriens,
in Christi crimina non inquirat, sed
ea supponat, ac Iesum mortis reum
pronunciet.

Verùm Pilatus prudentior, confu-
sa distinguens, quæstionem facti seor-
sim examinat, in eaque ponens rei
summam, scire vult, an Iesus sit male-
factor. Et quamvis ille à Iudæis au-
diat: *Si non esset hic malefactor*, Io.
18. 30. eis tamen non vult acquiesce-
re, nec Iesum incognitâ causâ dam-
nare, identidem rogans: *Quid enim
mali fecit?* Luc. 23. 4. 15. 22.

Hoc artificio, quo usi sunt Iudæi,
utuntur illi, à quibus per copulatam
propositionem proponitur hoc pro-
blema: *An doctrina Pontificia, funda-
ta in solâ hominum traditione, sit reij-
cienda.* Ubi supponitur doctrina no-
stra fundari in solâ hominum traditio-

ne, quod nos negamus. Idem dicendum est de opposito problemate isto: *An doctrina Adversariorum, in puro puro Dei verbo fundata, sit acceptanda.* hic enim denuò supponitur, doctrina illorum in puro puro Dei verbo fundari: quod nos quoque negamus.

Non absimilis est illa propositio, quam nuper in libro cujusdam Ministri, cui titulus est: *Weyerschreiben*/pag. 23. legeram, hisce scriptam verbis: *Was man immer wider sie (die Catholische) mit bestem Grund der Wahrheit an Tag lassen kommen/verbietet man selbiges den Ibrigen zulesen. quæ ego bonâ fide sic verterim: Libros Reformatorum contra Pontificios scriptos, tamen si solidissimis suffulciantur argumentis, Romana Ecclesia suis prohibet legendos.* Quibus verbis quidam alius Minister, non malo tamen, ut reor, animo, adscripsit in margine: *Verissimum.* Verùm uterque malè: ille quidem, quòd in suâ assertionem supponat id, quod nos negamus; nempe libros Reformatorum contra nos scriptos, solidissimis fulciri argumentis; hic, quòd suppositam

af

assertionem absque prævio examine
 approbet, eique subscribat. Sed de
 istis satis.

Ad primum igitur, quod supponit
 Stuckius, nempe nostram doctrinam
 fundari in tropis à Sacramentorum
 naturâ alienis, respondemus, illud esse
 evidenter falsum; nam luce meridia-
 nâ clarius est, nostram doctrinam fun-
 dari in clarissimis Scripturæ verbis,
 iisque in sensu plano & obvio ac-
 ceptis sine ullo tropo, his videlicet:
*Hoc est corpus meum, Hic est sanguis
 meus.*


Quoad alterum, quod Stuckius sup-
 ponit, nempe doctrinæ Stuckij con-
 cordare verba tropica in quotidiano
 & Sacramentali imprimis usu posita,
 peto ego ab Adversarijs, ut illa verba
 tropica proferant, ex quibus per in-
 fallibilem demonstrationem, ut ipsi
 identidem loquuntur, suam hanc do-
 ctrinam eruunt: ut hoc pacto videam-
 us, quomodo illa verba tropica cum
 illorum doctrinâ concordent. Unicè
 verò desidero, produci illos Ecclesiæ
 Catholicæ Sanctos Patres, Græcos &

2
Latinos, qui (teste Stuckio pag. 4.) Sacramentalem tropum tantoperè commendarunt.

Potiori jure possem ego statum præsentis causæ hac ratione ponere: *An doctrina Romana Ecclesia de Eucharistiâ fundata in clarissimis Scriptura verbis, usq; in sensu plano & obvio acceptis, sit acceptanda.* Et ex aduerso: *An doctrina Stuckij fundata in tropis, qui pro arbitrio verbis Scriptura impinguntur, sit repudianda.* Sed ut petendi principij suspicionem longè à me submoveam, illis prætermittis, sic puto, problema esse constituendum: *An doctrina Romana Ecclesia de Eucharistiâ sit conformis S. Scriptura & Patribus.* Hoc affirmo, Stuckius sine dubio negat. Hic ergo Rhodus, hic saltus. Statu itaque controversiæ, ni fallor, ritè constituto, hanc pono Propositionem: *Doctrina Romana Ecclesia de Eucharistiâ est conformis S. Scriptura & SS. Patribus.*

Quapropter universam disputationem in duas dividam partes: in 1. ostendam, nostram doctrinam esse conform-

formem Sacrae Scripturae, ceu moti-
vo credendi. Imo etiam evincam, ean-
dem quoque esse conformem S.S. Pa-
tribus, velut optimis Scripturae expo-
sitoribus, & nostris antesignanis. In
2. objectiones Adversariorum magis
plausibiles luculenter dissolvam.



PARS PRIMA.

*IN QUA NOSTRA CA-
tholica Sententia probatur.*

CAPUT I.

*NOSTRA SENTENTIA
stabilitur ex destructione fundamen-
ti Adversariorum.*

ADversarij, ut disertissimos S.
Scripturae textus, quos pro no-
strâ assertionem producimus, eludant,
suamque firment opinionem, univer-
salem quandam regulam statuunt his
ferè verbis: *Ubi de Sacramentis agi-
tur, ibi hac regula ex perpetuo S. Scri-
ptura usu debet teneri, ut per metony-
miam nomen rei signata imponatur signo,*

As seu,